


NUMMUS HONORARIUS REINHARDI COMITIS SOLMEN-

sis, in bello Smalcaldico contra Protestantes, Cæsaris castra sequentis: Cusus Anno Christi 1547.



Eque hic etiam nummus Generosi & Illustris Herois, Comitis Reinhardi Solmensis oblitterandus mihi esse videtur: qui Cæsari in bello Smalcaldensi strenuam, cum Friderico Fürstenbergico (cujus effigiem habere non potui) navarat operam. Gliscen-
tibus belli rumoribus, quod contra Protestantes suscepturus Cæsar dicebatur, audierat Comes ex Navio Imperatoris Cancellario, hospite tum suo, consultum sibi videri, si Landtgravius ad Cæsarem ve-

niret. Sic enim futurum, ut omnis suspicio & diffidentia, quæ ex delationibus utrinque factis nata sit, tolleretur. Ex eo Comes optimus non desinit monere Landtgravium, consilio pareret: cuncta etiam alia tentare atque juvare, quæ reconciliandis Cæsari Principibus inservire posse videbantur. Exorto belli incendio, licet religioni reformatæ addictissimus esset, Cæsaris tamen potius, quàm Principum castra sequi maluit: vel quia Imperatorem clementissimè de se meritum honestè deferere non posset: vel quia sanctiora tutioraq; arma ea statueret, quæ seditionis, rebellionisq; labe carerent atq; vituperio. *Quid si & Symbolo hoc Principes monet patientiam à Deo flagitent potius ad tolerandas, si quæ religionis causa, devoranda, injurias, quàm Evangelium armis defendendum: quandoquidem documentis aliquot illustribus monstravit Deus: nolle se verbum suum gladio propugnari: tutelâ eius sibi reservatâ: vicissim palmam nunquam non reportavit animus ærumnarum tolerans, soli Deo, inter incendia & naufragia: inter fluctus decumans, & monstra sævientia confusus? Thuanus.*

Author.